

tur, vel ut ὄντα sunt, vel ut insunt: ut illud patet ex se-  
cundâ divisione antepredicamentali cap. 2. §. 2.

84. Cùm igitur tali modo considerari queant &  
substantiæ & accidentia, manifestum est, quòd hi mo-  
di sint generalissimi.

85. Non quidem inficiamur, quòd per ὄντα, sive  
per ea, quæ ἀπλῶς esse dicuntur, πρῶτως substantiæ, &  
per ea, quæ inesse dicuntur, πρῶτως accidentia, sint in-  
telligenda: Interim negandum non est, quòd vicissim  
substantiæ considerari possint logicè, ut ea, quæ insunt:  
& accidentia, ut ea, quæ sunt. Siquidem distin-  
guendum est, inter *accidens Logicum* sive *Categoricum*,  
& *accidens Physicum*.

86. Non enim *quantitatem*, *qualitatem*, &c. confi-  
dero in logicis tantùm, quatenus accidentia sunt, &  
substantiam denominant: Verùm etiam quatenus se i-  
psâ denominant: itemq; quatenus à substantiis deno-  
minari possunt, ut, quando dico: *Aurum est flavum*:  
ibi qualitas flavedo tanquam accidens denominat au-  
rum, tanquam substantiam: quando autem dico, *an-  
nulus est flavus*: ibi Accidens denominat accidens: &  
alterum habet rationem substantiæ sive subiecti: alte-  
rum tantùm rationem accidentis: accidens nempe *an-  
nulus*, habet rationem subiecti & essentiæ: *aurum* verò  
(licet in se substantia sit) rationem accidentis: quia  
*contingit vel accidit, quòd Annulus sit aureus*.

87. Adde, quòd quodlibet accidentale prædicamen-  
tum, ut ἕστια & essentia considerari queat: nempe qua-  
renus habet sua genera, species & differentias, atq; ita  
peculiare prædicamentum constituit. Quo modo &  
respectu ei omnia competere & attribui rectè possunt,  
quæ Logicè de substantia in prædicamento substantiæ  
dicuntur. Atq; hætenus explicatus est formalis prædi-

C 3

candâ